



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

323. An, ut quis promoveatur in Prælatum, vel superiorem regularium, necesse sit esse professum, & quidem expresse in eadem religione, & ita, ut aliàs promotio sit ipso jure nulla.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

lumentum. Verum hoc forte oppugnat rationem adjunctam, non autem evertit decretum ipsum.

*Quaestio 323. An ut quis eligatur, vel promoveatur in Pralatum, vel Superiorem regularium, necesse sit esse professum, & quidem expressè, & in eadem religione, ac ita, ut aliàs electio, vel promotio sit ipso jure nulla?*

**R**espondeo ad omnia affirmativè. Abb. in c. cum Monasterium. de elect. n. 2. ibid. Bald. & Innoc. Barb. ad c. nullus. de elect. in 6to n. 2. & ad Trid. sess. 25. c. 21. de regular. num. 1. Suar. de relig. tom. 3. l. 6. c. 21. num. 15. Tamb. tom. 1. d. 5. q. 11. Pass. c. 25. num. 345. citans plures alios. Primum habetur c. cum causam. & c. cum ad nostram. de elect. secundum c. nullus. de elect. in 6to. putant tamen Labor. de elect. c. 16. num. 128. Abb. & Jo. And. cit. à Pass. num. 346. sufficere professionem tacitam, ut quis per postulationem, vel etiam collationem, aliàve provisionem distinctam ab electione obtineat pralaturam regularem; eò quòd cit. c. nullus. utpote pœnale extendi non debeat ultra hoc, quod sonat. Tertium habetur in clem. 1. de elect. Quartum uti & priora tria ex Trident. sess. 25. c. 21. de regul. Quod verò his canonibus constitutum de viris, idem in monialibus locum habet. c. indemnitate. de elect. in 6. Adeòque firmiter hæc tenenda sunt, ut dum in conventu vel religione non esset professus, vel professa, qua eligi possit, adhuc à nullo inferiore Papà, eo inconsulto, fieri possit, ut eligatur alia persona digna ex alio conventu vel religione, cum cit. clem. absolute decernatur cum decreto irritante, ut regularibus non proficiatur nisi regularis ejusdem Ordinis. Sigism. à Bon. de elect. dub. 87. num. 4. Suar. & Pass. loc. cit. Porro intelligenda hæc sunt, dum dicta praelectura regulares conferuntur in titulum; secus enim est, dum conferuntur in commendam, via enim commendæ beneficia secularia regularibus, & regularia secularibus, etiam si suos conventus habeant, & in eis vigeat regularis observantia, à Papaduntaxat obvenire possunt. Fagn. in c. cum ad nostram. de elect. n. 2. & seq. quod ipsum non improbat, aut prohibet Trident. quin potius tacite admittit, dum prohibendo secularibus conferri beneficia regularia adiecit hæc verba: in titulum. & quamvis sess. 25. c. 21. caverit, ut monasteriis ha-

bitibus suos conventus, qua tunc commendata reperiebantur, proficerentur regulares ejusdem Ordinis, uti & iis, qua impofterum vacabunt; ea tamen non dici præceptivè, ut tenuit Rota, sed solum cõsultivè & optativè, declaravit S. Congregatio, ut refert Fagn. num. 10. juxta quem nihilominus verè præceptivè statuit, ut qui ea Monasteria, qua sunt velut capita Ordinum (quale v. g. est Cistercium respectu Ordinis Cisterciensis) in præfenti in commendam obtinent intra sex menses religionem istorum Ordinum solemniter profiteantur, vel eis cedant, aut aliàs commendæ ista ipso jure vacare censeantur, nisi sit eis de regulari successore provisum. Vide etiam apud Eundem num. 14. quid in genere de monasteriis in commendam dandis statuerit Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 19.

*Quaestio 324. Quantum tempus à professione requiratur, ut quis eligi possit in Pralatum religionis?*

**R**espondeo: à Trident. loc. cit. c. 7. in monialibus requiri ad minimum quinque annos à professione, ut eligi possint in Abbatissas & Priorissas; pro viris verò neque à Trident. neque à reliquo jure communi certum tempus statutum est; quare non prohibentur (nisi alias obtent specialia statuta Ordinis) statim à professione eligi in præfules regulares, modò sufficienter in observantiis Ordinis instructi, & alias qualitates requisitas habeant. Abb. in c. cum in cunctis. de elect. num. 6. Pass. num. 348. Neque nunc casus ille, qui aliàs excipitur c. officii de elect. nimirum dum quis sit religiosus, & mox proficitur, & sic eligitur in pralatum, locum habet, cum ex præscripto Trident. nemo admittatur ad professionem, nisi post expletum annum probationis. Quòd si tamen talis tam repente à professione electus non foret sufficienter instructus in observantiis sui Ordinis; uti & si justè præsumeretur in tali ambitio, electio ejus, etiam non esset ipso jure irrita. Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 3. n. 7.) foret tamen ad minimum irritanda vi c. officii. Abb. ibid. aliisque. Pass. num. 248.

\*\*\*  
\*\*  
\*

